



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Tora nevi'im u-ketuvim

Leusden, Johannes

Amstelodami, 1667

Judicium Allardi Uchtmanni Linguæ Sanctæ Professoris in Academiâ
Lugdunensi, De novâ hâc Editione Bibliorum Hebraicorum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39406

Judicium Allardi Uchtmanni

Linguæ Sanctæ Professoris

in Academiâ Lugdunensi,

De novâ hâc Editione Bibliorum Hebraicorum.

Lector benevolè S.



U A N Q U A M vino vendibili non opus sit suspen-
sa hedera, probaque merx emtorem sponte alli-
ciat; ne tamen amatoribus sacrarum literarum stu-
diosis ignotum sit, quid in iterata hac editione
Hebraici Codicis, ab eximio Typographo
Hebræo Iosepho Athia, præstitum superadditumque sit: quo
nomine præ reliquis maximè commendabilis, & ad lectionis
usum etiam aptius concinnata, in lucem denuo prodeat, brevi-
ter sic habeto. Præter capitum, lemmatumque, & versuum ac-
curatam distinctionem, argumenta insuper & summulas Latino
idiomate in margine adjunctas, lectionis memoræque subsidio:
diligenter quoq; passim punctuationis rationem notatam, observa-
tamq; è Masora, eximio utilique lectoribus compendio atque ad-
jumento, quod in accuratiорibus etiam editionibus hactenus de-
sideratum. Reliqua autem ipsius operis quod attinet, quantum
diligenti pro temporis angustia consideratione observare mihi
licuit; deprehendi neque labori indefesso, neque emendationis
sumptibus parcitum, si quid forte in illo erratum admissum esset:
quoque limatus correctiusque prodiret, accuratam ubique cu-
ram, & exactam diligentiam adhibitam, non modo in literarum
apicumque seu punctorum, sed in accentuum quoque omnium
debita constitutione. Ita equidem Lector ut tam fidere huic
exemplari citra hæsitationem tutoque possis, quam illo ad com-
modum tuum uti, si visum fuerit: quo ut diligentius etiam uta-
ris, stimulo tibi atque invitamento hæc quoque occasio esse de-
bet. Hoc qualecunque novi operis suffragium, Typographi de-
bitum diligentia ac dexteritati, bono publico inservire satagentis;
idque ad rei veritatem testandam, non invitus à me impetrari
passus sum. Tuum erit, Lector Benigne, ut illo ad utilitatem
tuam fruaris.

Scripsi Lugduni Batavorum, Prid. Idus

Maias, Anno CICLXVII. Allardus Uchtmannus

Linguæ Sanctæ Professor.